AMPUTATIONIS BREVIS ADUMBRATIO.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICO - CHIRURGICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITERARIA
FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XII. MENS. DECEMBR. MDCCCXXXII.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENSURUS EST
AUCTOR

BENEDICTUS PEYSON
POLONUS -OPATOVIENSIS.

OPPONENTIBUS:
A. LEINWEBER, MED. ET CHIR. DR.
M. DE CELIŃSKI MED. ET CHIR. CAND.
E. HIRSCH, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI,
TYPIS NIETACKIANIS.

In ea opinione me semper fuisse, profiteor, neminem ne illis quidem morbis, qni interiores corporis partes infestant, et quorum curatio a solis medicis requiritur, scienter ac perite mederi posse, nisi ea vitiorum genera, quae chirurgi sibi vindicant, habeat perspecta et pertractata. (Jo. Zacharias Platner in praefat. ad chirurg. instit. Lips. 1745 edit.)

INCLITISSIMAE

VARSAVIENSI MEDICORUM

S O C I Æ T A T I

NON MINUS

VIRO

DOCTISSIMO ET REVERENDISSIMO

AN. POLEIOWSKI,

LYCEI KIELCENSIS RECTORI, PROFESSORI QUONDAM SUO NEC NON COLLEGIATAE KIELCENSIS SCHOLASTICO

PRAECIPUO FAUTORI ET PATRONO

AD CINERES USQUE COLENDO

HASCE

LITTERARUM QUALESCUNQUE PRIMITIAS

PII GRATIQUE ANIMI

DOCUMENTUM ESSE PUBLICUM VOLUIT

D. D. D.

AUCTOR

PRAEFATIO.

Vulnera, variae magnitudinis variaeque indolis glandibus, vi pulveris pyrii e machinis ignivomis ejectis inflicta, saepe frequens mihi occasio videndi, ea inspiciendi nec non pertractandi fuit. Plures exinde amputationes susceptas in militaribus nosocomiis institutas, decem mensium spatio diligenter observavi et examinavi; hanc ob rem de amputatione pauca scribenti visum est haud abs re fore, de memoratu dignioribus sparsim hinc inde mentionem facere. Estne quid novi aut inconsueti quod descriptu dignum videatur? minime procul dubio: nec enim ipsi casus, quum ob vulneratorum numerum, tum ob singulares circumstantias, quae operationem differre valerent, ejusmodi erant ac ii, quos celeberrimus Kleinius fideliter ac accurate

descripsit*). Quamquam observationes has in historiarum forma enarrare non licet, ut eae inlibro ab experientissimo Mursinna **), inveniuntur: arduum est enim tironi liquidius judicare, non minus de observatis certam et genuinam rationem reddere: nihil tamen impedit, quominus ea, quae in arctissimo cum amputatione nexu exstant, paucissime absolvantur.

Operum, quibus in hac dissertatione conscribenda usus sum, sequentia indicare sufficiet.

Armamentarium chirurgicum D. Joan. Sculteti. Francf. 1666.

Jo. Zachariae Platneri Institutiones chirurgicae. Lipsiae 1745.

D. Lavrentii Heisteri Institutiones chirurgicae. Amstel. 1750.

Normen für die Ablösung gröſserer Gliedmaſsen von C. Ferd. Graefe. Berl. 1812.

Dictionnaire de chirurgie pratique. Sam. Cooper. Paris 1826.

---

*) Resultate der in den Kaiserlich Russischen Hospitälern im Würzburgischen gemachten Ausschälungen aus d. Schultergelenk so wie anderen ungewöhnlichen Amputationen. Stuttgart 1816.

**) Neue medicinisch-chirurgische Beobachtungen von Chr. Lud. Mursinna. Berlin 1796.

Theoretisch - praktisches Handb. der Chirurgie von D. Joach. Nep. Rust. Berlin u. Wien 1830.

Odeymowanie członków. przez Em. Klemensa Nowickiego. Warszawa 1831.

De amputatione in genere.

Operatio, qua membra quaedam partibus duris et mollibus ut femur, crus etc. aut ipsis mollibus constantia ut mammae, penis morbo correpta, instrumentis acutis a sano organismo auferuntur, amputatio chirurgis dicta est. Auferuntur autem hae partes, quum insimul bases earum serrula transcinduntur; aut his intactis membrum e pristino articulationis nexu elicitur: quarum operationum illa amputatio in continuitate ossis, s. amputatio stricte sic dicta; haec, amputatio ex articulo s. exarticulatio s. enucleatio, s. excisio, s. extirpatio artuum, s. amputatio in contiguitate nuncupari solet.

Pars quaedam organismi gangraena correpta, a sana limitatur, separatur, decidit tandem: phaenomenon hoc antiquissimis jam temporibus medicorum attentionem concitavit. Intellexerunt illi, ut ita dicam, in conaminibus his nutum naturae: sategerunt, eam in auferendis jam emortuis partibus sublevare: operatio igitur, de qua sermo, a natura

ipsa indagata esse videtur. Quomodo illa primitus instituta sit, quaenam ratio in pertractandis exinde vulneribus ortis fuerit, quibus mutationibus subacta fuerit, donec in gradum quo nunc est pervenerit chronologico hic describere modo, angusti generis hujus scripturae limites non id sinunt. Res haec in operibus supra allatis luculenter explanatnr. Legi praeterea meretur Petrus Dionisius*). Linguae polonicae haud in gnaris, non sat commendari potest opus a professore quondam meo Ill. Novicio editum: quo continentur omnia ad hanc operationem spectantia graphice et accurate depicta, praesertim torcularia multis tabulis illustrata. — Hic meminisse sufficiet deplorabilem aegri nec non medici statum in hac operatione olim fuisse: non unus enim intra amputationem, ob magnam sanguinis jacturam, quam cohibere nondum bene sciverunt, exspirabat. Minus certa, erronea, imo vero adversa erat et crudelis membri amputati pertractatio. Immergebatur enim hoc oleo aut pice ferventibus: ferrum candens, ob coërcenda sanguinis profluvia, pro unico remedio a multis longo tempore contendebatur. Estne igitur

---

*) Peter Dionis, Chirurgische operationes aus dem Französischen ins Deutsche übersetzt von Selintes. Augspurg 1712.

quod miremur, hanc operationem tam infeliciter et cum tam pessimis eventibus, magno cum terrore anteceptam fuisse? Frequentiores tamen casus amputationem urgentes, et medicorum actio magis naturam quam veterum auctoritatem sequens, spretis illis tormentis, quorum ipsa cogitatio jam horrore nunc perstringit, torcularia ad praepediendas haemorrhagias intra amputationis actum aptiora excogitavit. Ligaturae prius neglectae in communem usum revocatae, certam viam in peragenda jam per se tam gravi operatione struxere. Quibus impedimentis devictis ipse amputationis actus simplicior, cicatrisationi magis respondens evenit. — Variae methodi in hunc finem inventae, descriptae, certa nunc via in peragenda hac operatione medicum ducunt; qui multis observationibus aliorum aut propriis jam persuasum habens, laesionem quamdam nullo modo in statum pristinum restitui, imo vero perlonga duratione organismo periculo minari, persuadet aegro, ut se subdat operationi. Quin etiam medicae artis ignari videntes omnia auxilia frustranea fore, membro, quo delectabantur, valedicere ipsi expostulant. — Ex supra allatis patet, amputationem ab ima ruditate ad summum perfectionis gradum evectam esse, adeo ut nihil desideratu restet, nisi ut innecessaria

reddatur. Quid tamen medico auxilium quoddam enitenti superest, ubi ossa partibus mollibus dilaceratis, revulsis denudata, conquassata, collisa, comminuta, imo vero pars quaedam membri ablata nullo modo restituenda evenit? nisi ut eorum, quae cum summo organismi detrimento per se decidant aut aegrum e medio tollere valeant, amputatione hoc malo deliberet et certo appropinquantem mortem hac ratione depellat. Quousque igitur affectio quaedam localis aut brevi post aut ulteriori suo progressu corpus debilitat, emaciat, vitam aegerrimam ac molestissimam, imo vero serius ocius mortis praedam efficere valebit, eo usque amputatio inevitabilis operatio erit. —

Modus, quo nunc bella, pulvere pyrio variisque machinis ignivomis inventis, geruntur, medicos ad amputationem frequentius instituendam cogit, adeo, ut nunc ea carere haud possint. Non desunt praeterea casus alii amputationem exigentes, de quibus infra. Necessaria est igitur haec operatio: neque utilitate caret. Quodcumque enim malum molestum est: quid tamen dicendum, si ossa cujusdam membri fracta, conquassata sint? aeger continuo patitur, quisque motus, non raro ipse respirationis actus summos dolores in parte adfecta cau-

sat. Amputatione his molestiis deliberatur et non raro ipsi eripitur morti. Hac operatione vulnus simplicius curatuque facilius evadit. Dolores intra amputationem non tam atroces sunt ac ii, quos nonnunquam in repositione fractorum ossium aegri accusant. Membrum artificiale magis saepe usui accommodatur, quam longo tempore curatum et tandem inutile, imo vero impedimentum sistens. Eam non raro noxiam, imo vero summis periculis stipatam, mortem etiam afferentem esse, minime negandum: quod tamen non operationem ipsam inculpandam esse efficit, sed potius medicum non sat circumspecte momenta eam indicantia perspicientem et perpendentem: adsunt praeterea quaedam accidentiae nervosae, haemorrhagiae ex vasis majoribus laesis, quae non raro perspectissimi medici eludunt conamina, et operationem periculi plenissimam efficiunt. Ut igitur desideratus scopus hac operatione attingatur, I. casus, qui amputationem admittunt, imo vero eam inevitabilem reddunt, recte a medico perpendantur necesse. II. Operatio ipsa debito tempore, accurate investigato partis laesae loco institui debet. III. Modus etiam operandi et ratio vulneris post amputationem pertractandi haud

flocci pendenda. Quae momenta, quippe in quibus tota res vertatur, speciatim pertractari merentur.

I.

Casus amputationem admittentes.

Amputatio adeo facilis operatio est, ut a quocunque anatomiae haud ingnaro, ex operibus de ea tractantibus facili modo percipi, et exigua dexteritate, in cadaveribus acquisita, perfici possit. Sed quid prodest factum frustra susceptum? videmus pede manuve privatos: multi adsunt utroque pede orbati: nec desunt ejusmodi exempla, ubi homines extremitatibus carentes vitam tamen, quamvis minus amoenam, gerunt; non raro tamen obvenit, ut unius membri jactura post amputationem morte terminetur. Operatio est eadem ipsa, iisdemque fere encheiresibus peracta, ast varii ejus eventus. Undenam hoc proveniat? In hac re investiganda non exiguam nobis lucem ab indicationibus, nec non a consideratione temporis, quo operatio peragatur, promittimus.

Diu jam certamen inter peritissimos artis chi-

urgicae viros in hac re fuit, et adhuc sub judice is est, quinam casus amputationem admittant, qui am respuant.

III. Graefio, ut recte monet Nowicius *), lebetur indicationum divisio in indicationes absolute amputationem postulantes et eam relative urgentes.

Quaeque laesio topica, universi organismi adfectiones insanabiles vitaeque ruinam struentes prae se ferens, partem morbo correptam a sana removeri omnino jubet; ut ablata causa avertatur inevitabile malum**). Rustius fere sic dicit: »amputamus, ut auferantur membra, locali adfectione medelam irridente correpta; quae adfectio, aegri ratione interna ac circumstantiarum habita, qua insanabilis censetur, ex qua vita aegri in periculo versatur aut illam miseriis continuo replet ***). His recte perpensis, luce meridiana clarius fit, qui casus amputationem

*) Op. cit. pag. 9.

**) Graefe op. cit. pag. 14. §. 7 in qua ulterius sic progreditur „legen wir gleich hierdurch das Bekenntnifs ab, dafs die Heilbarkeit jenes topischen Leidens aufser den Schranken unserer Kunst liegt, so geben wir doch anderseits den Beleg das Leben noch da sichern zu können, wo es seiner Anflösung ohnfehlbar entgegenschritt.‟

***) Rust op. cit. pag. 538.

velint: attamen quantis difficultatibus non premitur medicus in dijudicando ipsius laesionis genere, eo magis in dignoscendo, an haec localis, nondum universalibus radices fixerit, nec ne? Arduum igitur et fere impossibile est certa pathognomonica signa, quibus id agnosci possit, determinare. Dijudicatio haec desiderat genuinam variorum morborum scientiam; quae diligenti observatione jam acquisita medicum quasi lynceis oculis praeditum ad eruenda haec momenta reddit, ne operatio suscepta frustranea sit. Attamen ex effatis experientissimorum liquet, partium conquassationes, gangraenam, necrosim, aneurysmata et alia mala, quorum influxus vitam periculo minetur, amputationem absolutam agnoscere, sed de his postea speciatim.

Indicationis relativae ad amputationem est 1mo ejusmodi localis adfectio, quae faventibus circumstantiis quum in aegro ipso tum etiam in externis sanari potest: quibus tamen deficientibus, plurimi emoriuntur. 2do. Quum perspicimus a laesione quadam sanationem admitti, membrum tamen servatum inutile, vitam praepediens evenire, commodiusque artificiali substituto remunerari valere: quod praesertim de laesionibus extremitatum inferiorum intelligendum est. — Ad hoc proeliis commissis, ubi

magnus vulneratorum coetus, medicorumque, opem illis ferentium numerus exiguus efficit, ut saepe saepius membra, quae alias servari possent, amputentur, propterea quod deficiunt circumstantiae curam promittentes.

Ab Ill. Nowicio varii status, quum mechanice producti, tum adfectioni morbosae originem suam congratulantes, quousque amputationem necessariam reddant, critice ordinati ac descripti inveniuntur *): de illis itaque paucissimis absolvam.

1) Partes molles magna superficie contusae, ossibns insimul in eo gradu conquassatis, ut inflammatio, periculosa suppuratio aut gangraena exinde immineant.

2) Ossa adeo diffisa, ut dolores atroces et vires exhaurientes nascantur, aut haemorrhagiae nullo modo coërcendae, ob vasorum dilacerationem obortae.

3) Ossa disrupta partesque molles globo contusae nullam curam admittentes.

4) Ejusmodi contusiones, quarum vestigia nulla fere superficialiter manifestantur; vasa autem rupta, ossa collisa, aliaeque partes valida commotione paralysi correptae serius ocius gangraenam

*) Op. cit. pag. 11.

certo moventes. Tali ratione parte quadam adfecta, quamvis vulnus infixum foret minori globo, in membro articulante amputatio absoluta fit: quod praesertim de vulneratis proelii tempore intelligendum; ubi minus faventibus circumstantiis, imminentia ex inflammatione mala haud averti possunt. Multae praeterea docent observationes, ejusmodi casus consuetim pessimos eventus prae se ferre.

5) Extremitates ossium articulationem sistentes fractae, aut fracturae complicatae, praesertim vero in directione obliqua: positio enim membri laesi in militibus transportandis commoda ne cogitanda quidem. Tali casu amputatio absolute institui debet; quamvis in alia rerum positione laesiones hae saepe curari possint.

6) Partes molles contusae, ubi insimul nervorum aut vasorum trunci et majores eorum rami rupti, conquassati et collisi.

7) Membrum quacumque vi abreptum.

8) Articulationes, vulnere quamvis caeso usque ad os tamen penetrante laesae: praecipue autem articulatio, ginglymus anatomis dicta, cum contusione ligamentorum eam sistentium, earum dilaceratione, aut cum luxatione completa juncta. Tum etiam quum corpus laedens in articulatione ipsa haereat,

neque eximi possit. In tali casu nihil restat nisi amputatio.

9) Magna ossis jactura vi mechanica aut necrosi producta: regeneratio enim ejus summis difficultatibus stipatur, et saepissime plena periculi est. Quibus non raro superatis, membrum tamen usui minus aptum evada. Idem de necrosi, ubi sequester aut exfoliatio iterum in cariem vergunt, intelligi debet.

10) Caries ossium, aut extremitates necrosi correptae, omnia medici conamina in cura spernunt, et saepissime febris hectica ingruens aegrum necat.

11) Tumor albus, arthropyosis neglecta, fungus articuli omnem medelam respuens, quae suppuratio magna vires exhauriens sequitur: praeter ea cartilagines ossaque patiuntur. Fungus quidem articuli rheumaticus, ligamentorum aut aliarum partium: mollium, morbo correptarum, progenies, sanatur medicamentis congruis; attamen ubi jam ossa ab initio patiebantur, ut in scrophulosis, nullum fere auxilium praeter amputationem restat: tenendum tamen, ut amputatio recto tempore instituatur.

12) Spina ventosa, pedarthrocace, hyperostoses, exostoses, quum per se desorganisationem partium adjacentium causent, functionem membri praepediant

aut eam impossibilem reddant, praeterea eorum reactio in universum organismum periculosa timenda, amputationi locum praebent. Haud obliviscendum tamen, ne operatio morbo nondum debellato exerceatur.

13) Partes molles exulceratae fistulasque formantes, cancer earum, propterea quod majorem partem membri occupant et nullo modo curari possunt, amputandae sunt.

14) Varia producta morbosa usque ad articulationem penetrantia, aut etiam profundius intra musculos, vasa, nervos collocata, quae partes ad fines volumine suo transformant et continua pressione os laedunt, periculosa esse possunt, aut membrum iis adfectum inutile redditur neque ullo modo curari potest.

15) Partium mollium metamorphoses morbosae magnae, ut adipo-ceres, textus cellulosi indurationes et musculorum ex elephantiasi aut pseudo-erysipilate ortae: quo fit ut membrum inutile evadat.

16) Suppurationes vires aegri exhaurientes nulloque modo compescendae.

17) Arteriarum truncis ruptis, unde sanguinis profluvia orta sedari non possunt, aut ubi vasa col-

lateralia non sufficiunt ad vitam membri promovendam.

18) Saepe ingruentes haemorrhagiae ex arteriis profundius locatis, quarum deligato frustra tentabatur: tum etiam quum ob intumescentiam ac partium desorganisationem ligaturae minime injici queunt.

19) Sanguis saepe ruens tum ob laesionem mechanicam quum morbosam, quae suppurationem, gangraenam, teleangiectasiam causat: praesertim si profluvium hoc sisti nequit. Forsan in hoc casu usui aquae Binellii quandam opem adferre posset.

20) Aneurysmata permagna inveterata, praesertim in aetate jam provecta, et in individuis nimis usui spirituosorum deditis aut aliis vitiis laborantibus, comparentia.

21) Aneurysma, ubi ligatura imposita pars infra eam vita privatur.

22) Membranarum propriarum in arteriis morbosae transformationes, nullibi ligaturam admittentes.

23) Aneurysma, infra quod membrum frigidum absque sensu, tumefactum, oedematosum: aut ubi pulsus minime tangi potest.

24) Aneurysma voluminis magni inveteratum, penes quod partes molles inflammatione, suppuratione, aut carie adeo commutatae aut devastatae, ut membrum potius resecandum sit, quam aneurysma hoc subligandum.

25) Aneurysma magnum gangraenam molliens.

26) Summae magnitudinis aneurysma arteriam ibi occupans, ubi illa in ramos se dispergit; aut etiam aneurysma spongiosum (aneur. anastomoticum, fungus aneurysmaticus).

27) Magna ossis ab aneurysmate devastatio, praesertim autem circa articulationem.

28) Aneurysma longa jam compressione curatum, aut quum intra subligationem arteria transformata appareat, nec methodo Hunteri ligatura injici queat.

29) Digitus numerum excedens, neque utilis; imo vero usum manus aut pedis impediens, aut eos deformans.

30) Pseudarthrosis, ubi membrum functionem suam perficere recusat, aut rationem vitae sustentandae multum praepedit.

31) Ubi jam post amputationem os denudatum aut integumentis privatum, aegro vires exhaurit.

32) Fungus haematodes, fungus medullaris.

33) Mastodynia, tubera evoluta adeoque magni voluminis, et cum aliis partibus adeo concreta, ut sine arteriarum nervorumque laesione extirpari nequeant; aut quorum excisio amputatione periculosior.

34) Manu aut pede luxato suppurationes ob cariem carpi aut tarsi obortae.

35) Gangraena causa externa producta.

36) Trismus tandem et tetanus pedetentim vulneris causa evoluti, nec corporibus laedentibus remotis, nec longo sat usui variorum hic commendatorum remediorum, ne fomentationum quidem frigidarum cedentes. — Quoad gangraenam, trismum et tetanum attinet, num amputatio propterea instituatur, quod haec phaenomena compareant, aut ob aliam causam, proferam postea Rustii opinionem in indicationibus ad amputationem ab eo designatis.

Quamquam ex supra allatis sat clarum videtur, quinam casus amputationem admittant; adeo ut superfluum censeatur de contraindicationibus dicere, attamen quia non semper amputare sub variis rerum positionibus licet, proferam praeterea momenta amputationem respuentia.

Status amputationem contraindicantes.

1) Os longum in medio conquassatum, cute tamen paullulum aut minime dilacerata, ubi frusta ossium incisione facta eximi possunt.

2) Inflammatio localis, cujus influxu febris inflammatoria oborta derepente caput extollit; aut ipsa per se in eo gradu viget, ut deliriis et convulsionibus ansam praebeat.

3) Suppuratio, vires exhauriens, a corporibus extraneis in vulnere haerentibus excitata, aut a sordibus primarum viarum, aëre corrupto aut aliis circumstantiis, quae amoveri possent, pendens.

4) Gangraéna causarum internarum aut mòrbi in organismo latentis progenies, nec non gangraena nosocomialis.

5) Trismus et tetanus non vulnere producti, aut etiam derepente evoluti.

6) Arthrocace, tumor albus, plures insimul articulationes obsidens.

7) Ematiationes, summae labefactationes, febris hectica cum sudoribus profusis, diarrhoea, vomitu: aut etiam magna virium jactura absque visibili causa. Non tamen obliviscendum, labefactationis ideam relativam nimis esse, et non raro intra summam

irium deperditionem, amputatiom institutam desideatissimo coronari fructu.

8) Aegri pusilanimitas ad eum usque gradum lata, ut ipse infallibilem mortem praevideat et quasi eam praesagiat.

9) Arteriae, in loco, ubi amputandum censemus, morbosa conformatio: quam ratione aegri habita facile suspicari potes.

10) Magnae commotiones systematis nervosi cum symptomatum eas concomitantium caterva; nisi perspectum habeamus, eas, amputatione peracta, evanituras esse.

11) Status morbosus ossium, quibus transscisis haemorrhagiae timendae.

12) Vulnerabilitas in eo gradu vigens, ut non solum organismi reactio minime sit speranda, imo timendum, ne aeger intra operationis actum corruat.

13) Fungus haematodes in eo gradu evolutus, ut vulnere facto partes operiri haud possint: fungus praeterea medullaris, cancer aut scirrhus in organismo latentes, aut quorum vestigia multis in locis, sub varia metamorphoseos forma conspiciuntur.

14) Quaecumque tandem adfectio localis, causa interna producta, aut commercium immediate cum morbo, amputationem indicante, alens. — Notum

tamen, nonnullas dyscrasias in certis vitae periodis sua sponte cessare, praesertim autem scrophulosam et nonnunquam arthriticam infantes corripientem: nam in provectiori aetate evolutae, usque ad mortem victimas concomitantur suas. Verbo, dyscrasia quadam saeviente, aut nondum ea debellata, ab amputatione abstinendum.

Rustius sequentes casus amputationem indicantes agnoscit:

1) Glande igniaria (gal. grenade) variisque globis, e machinis ignivomis ejectis, membrum ablatum aut quodamcumque modo abreptum. Posset tamen aliquis quaestionem movere, cur in ablato jam membro iterum amputetur? cui sic responderi potest: corpus laedens vi sibi indita haeterogeneas partes varia ratione arripit; vulnus igitur exinde ortum inaequale, ac cicatrisationi minus aptum redditur: quae incommoda amputatione amoventur, vulnusque simplicius evadit et breviori tempore curatur *).

---

*) Duo exempla visa sunt a me Varsaviae, ubi frustum glandis igniariae manum dextram militi abrepsit. Carpi ossibus enucleatis, debitoque modo vulnere deligato, aeger, tribus hebdomadibus elapsis, nosocomium dereliquit. Multi praeterea casus phalangum digitorum simili modo amputatione curati sunt.

2) Ossa cujusdam membri vi externa diffisa, quorum insimul partes molles, ut musculi, vasa sanguinea, siquidem partim dilaceratae, contortae aut omnino ablatae sunt, inevitabilem exinde mortem, ob haemorrhagias lethiferas, portendunt, nisi ei amputatione obviam eamus.

3) Osse quamvis illaeso, partibus tamen mollibus praesertim vasis majoribus nec non nervorum truncis maxima ex parte collisis, aut omnino ablatis, gangraenae invasionem et ipsam individui mortem si exspectare nolumus, ad amputationem progrediendum.

4) Contusiones, quarum superficialiter nulla laesio conspicitur, vasa tamen disrupta, ossa etiam collisa non raro reperiuntur, nullam sanationem admittunt: nisi enim membrum sic adfectum resecetur, certo gangraenae invasio timenda *).

5) Quum articulatio, praecipue autem ginglymoidea, contusione ligamentorum articulationem sistentium, dilaceratione, luxatione, fractura, fissuris

---

*) Femur dextrum nulla laesionis vestigia prae se ferens adeo contusione comminutum observavi, ut fragmenta ossea quasi juglandium in sacco strepitum ab attactu majori ederent. Amputatione tres digitos infra trochanterem majorem peracta, aegri vita servata est.

aut collisionibus partium sibi articulantium laesa: aut si corpus laedens, ut glans plumbea aut simile quoddam in articulatione cunei instar haereat nec eximi possit; quo fit ut synovia eliciatur aut haemorrhagiae oriantur: in tali casu, amputatio unice periculosissimis sequelis nullo modo devincendis, ut inflammationi, gangraenae, imo vero trismo et teta praeveniet.

6) Haemorrhagiae cujuscunque generis in quodam membro obortae, nec ullo modo, quum ob singularem vasorum situm, aut transformationem eorum sisti possunt.

7) Partium mollium metamorphoses ulcerosae, aut producta quaedam morbosa, maximam partem membri occupantia; quo fit ut functio membri adfecti praepediatur, et quorum reactio in organismum nullo modo devincenda oriri possit.

8) Similes ossium cujusdam membri metamorphoses, quae ab organismo separari non possunt.

9) Adfectiones articulorum insanabiles, veluti tumor albus, arthrocace, arthropyosis neglecta etc.

Praeter supra enumerata momenta, sunt etiam alii casus, ubi vulnus caeteroquin sanationem admittit; attamen minus faventibus circumstantiis ad amputationem progrediendum.

10) Quum laesio externa, aut metamorphosis morbosa, vitae quidem minime periculosa sit; membrum tamen scopo suo haud respondens reddit, et quod arte commodius remunerari possit.

11) Tum denique membrum quoddam adeo transformatum, ut aegro impedimento sit et minus quam artificiale prosit.

Gangraena a plurimis pro indicatione ad amputationem agnita: Rustius tamen contra hos, qui in ea amputant indiscriminatim, invehit contendens, se non ob eam, sed ob haemorrhagias, quas saepe saepius prae se ferat, amputare. Eadem fere vi ingruit in eos, qui trismo comparente amputare consuescunt: ipse fomentationibus frigidis obviam iis studens. Duo haec tam gravia momenta non possunt nec debent hic disceptari. Quoad gangraenam, unum solummodo casum observavi*): trismum tamen, qui amputatione indigeret, non vidi, nisi eum intra amputationem comparentem. En vestrum clarissimi ar-

---

*) Miles quidam robustus glande majori e tormento ejecta antibrachium dextrum summopere laesum praebuit. Absque deligatione per tres dies in nosocomio derelictus contulit se tandem ad id, ubi ego opem ferebam. Gangraena jam evoluta praeterea pars ulnae abrepta erat: fomentationibus ex glacie in vesica applicatis gangraenâ debellata et membrum servatum cum sat commodo usu.

tis hujus magistri! ut his casibus bene perpensis et quousque fieri potest designatis, certam viam minus peritis indigitetis.

II.

Tempus quo amputandum est.

Magni etiam momenti est tempus quo amputatio ob laesionem quandam institui debeat; pessimi enim eventus operationem hanc sequentes utplurimum ab eo minus apte electo, tum ob ignorantiam medici, quum ob impossibilitatem aegri videndi pendent: quod praecipue proelii tempore accidit. Ad hanc rem attenti, diu eam indagabant medici; tamen exinde praecepta non raro sibi contraria nihil certi fundarunt. Alii enim docent, instituendam esse operationem moxpost vulnus susceptum, alii eam usque ad hebdomades differre volunt. Hic ne media quidem tenenda est via; non enim fortuito, ut cuique videtur, leges statuere licet. — Arctissime rem hanc complexus est Rustius fere sic pag. 543 dicens *): »amputandum est hoc tempore, quo in universo or-

*) Op. s. cit.

ganismo nullum conspicuum cernitur malum, cujus vis operatione et reactione ejus augeri posset.« Brevis, clara et non plus ultra dictu relinquens, experientissimi viri sententia, qua lex servanda. Stricte tamen dicendo, èstne quaedam validior laesio, quae in organismum reflexionem suam non exerceat: igitur operatio peragenda est ante evolutionem mali cujusdam in organismo aut hoc jam debellato. Rarissime satisfit huic legi, post laesiones praecipue mechanicas. Multi amputant, multique amputationis fructu destituuntur. Sacra igitur regula esto, ne aeger febre sic dicta vulneraria correptus amputetur; nam si hac praesente amputemus, ignis additur igni, dolores pristini novis cruciatibus augentur, et res in pejus vergit; quo fit ut jam natura his malis reniti non valeat, neve conamina medici quidquam juvare eam valeant: et plurimi, qui alias vita gaudere possent, jam ex faucibus orci eripi nequeunt.

Nullus casus in mentem mihi venit, ubi amputatio paulo post vulnus inflictum instituta, fructu desiderato caruerit. Ut multa alia praetermittam, haud reticendum hic puto de sequentibus.

1) Militis cujusdam uxor 28 annos nata, secunda valetudine gaudens, a sex mensibus gravida,

globo majori brachium dextrum fere in medio abreptum conspexit. Os humeri adeo conquassatum apparuit, ut exarticulatio e humero instituta fuerit. Aegra tribus mensibus elapsis nosocomium dereliquit: et postea nunciatum est mihi, eam feliciter partum absolvisse.

2) Miles gregarius utroque pede amisso, amputationi crurum se subdidit. Post tres menses membris jam artificialibus suffultus ambulabat in cubiculo.

3) Eodem fere tempore alterius militis femur dextrum globo sclopetari, media longitudinis parte complete fractum. Amputationem primo die noluit admittere credens fore, ut vulnus hoc sanetur. Post quatuor dies, medicus patientis desiderio morem gerens, minime tamen arti, praeter manifestum statum febrilem, quem jam facies et oculi primo aspectu prodebant, amputavit tamen femur laesum, in tertia superiori parte: operationem vix octo horis elapsis mors subsecuta est.

Praeter multa sub hoc respectu jam facta, ut certum quoddam tempus, quo amputandum, designari possit, nihil tamen stricte dicendo constitutum: quis enim, cum evidentia, ut ita dicam mathematica, autumare potest, quousque laesio quaedam to-

pica qua talis consideranda? quum praesertim hoc a natura laesionis ipsiusque aegri habitu pendeat. Nemo tamen dubitat, quin quo major laesio, quoque magis partes nobiliores correptae fuerint et quo sensilior aeger, eo citius reactio in universo organismo evolvatur citiusque in lucem prodeat. Hoc etiam observationibus constat, intra primum nychthemerum amputare optatissimum esse; quo tempore elapso, satius amputationem differre: praecipue quum systema nervosum et vasorum maxima turba in scaenam prodeant; quum autem vulnus tunc temporis summe dolens, inflammatum et jam tumefactum sit, satius expectandum erit, donec haec symptomata evanescant. — Si igitur aegrum brevi post vulnus susceptum habemus, summa ope nitendum est, ut cognoscatur recte genus laesionis, et simul perpendatur, an sanari possit nec ne; quo ultimo in casu, faventibus caeteroquin circumstantiis, ad amputationem accedendum: quousque tamen jam evoluta symptomata protrahantur ignotum est. Nec hic certi quidquam in operibus inveniri potest. Saepe post 15 dierum decursum, saepius post 25 dies hoc accidit: imo vero Kleinius operabat post 14 hebdomades cum felicissimo successu. Omnia tamen, ut

supra dictum, variae circumstantiae moderantnr: hic etiam longa experientia plurimum valet.

Aeque arduum est limitare tempus, partium, ob quemdam statum morbosum ex organismo evolutum, resecandarum.

Bonus malusve amputationis successus multum etiam pendet a loco, quo ea in membro adfecto peragatur.

III.

Locus, quo in parte laesa amputandum.

Vidi amputationem in femore bis, imo ter repetitam: ter repetita placent quidem ast non tormenta. Certe id factum est, minus apte, in membro laeso, electi loci causa. Jam nunc minime timemus, utrum in articulatione an in continuitate ossis resecandum sit. In quocumque igitur loco, quem ad curam et aegri commoditatem maxime aptum censeamus, amputatio institui potest ac debet. Tenendum tamen est, semper in sanis partibus eam fieri; partes enim quum molles tum durae laesae, sanationem difficilem reddunt, aut eam respuunt; suppurationem aegrum labefactantem prae

se ferunt, et pedetentim appropinquant morti. Monendos itaque velim juvenes medicos, ut in dignoscendis laesionibus attenti et multum perspecti sint: non raro enim accidit, ut hae inopinate ulterius ac cerni potest extendantur. Oblatum mihi casum memini, ubi glande ferrea vulnus pedi sinistro inflictum fuit. Ardua diagnosis erat: pes enim supra medium crus summe inflammatus tumefactus; laesio tamen tarsi pro certa habebatur. Statu inflammatorio devicto, ossa tarsi comminuta apparuere. Dolores atroces in articulatione genu impedimento fuere, quin operatio susciperetur in crure: his persistentibus, ne ulli quidem medicaminum cedentibus, quum praeterea aeger somnum capere non posset et jam ipse amputationem postularet, ea etiam re ipsa suscepta fuit in femore. Crus dissectum tibiam usque ad genu diffissam et ligamenta genu inflammata praebuit. Dici itaque potest, non unum aegrum membro privatum esse plus quam necesse erat, aut operationem frustra susceptam fuisse unice ex male invento loco. Praeterea in hoc eligendo ratio aegri vivendi recte perpendatur; in pauperioribus enim, qui laborare coguntur, amputamus potius in crure, pede omnino laeso: nam hi membro artificiali commodius uti pos-

sunt. Aliter fit apud ditiores vitam in otio degentes, quibus ars membra deperdita sat argute suppeditare studet.

Casibus amputationem agnoscentibus et tempore operationis perpensis, nec non jam loco absoluto, ad ipsam amputationem necesse accedamus.

Aegri praeparatio.

Quum jam nulla spes membri sustentandi ob momenta supra allata habeatur, medici est, ut aegrum, aut si individuum nondum adultum sit, ejus parentes moneat, jam ab arte nullum auxilium in malo praesente sanando dari, praeter amputationem. Det operam, ut iis de necessitate operationis hujus persuadeat. In prognosi statuenda cautus sit oportet: neque silentio praetermittat pericula exinde possibilia, faciat omnia ita, ut nec artis gnari, nec ipsius propria conscientia quidquam objiciat sibi. In casu dubio utatur consilio experientiorum. — Si jam stabilitum est de amputatione, rectius est aegrum operationis diem celare, ne cogitatione ipsa torqueatur; non enim aequo et tranquillo animo de tam gravi operatione cogitabit, numerabit horas, quodque horae minutum praeterlapsum appropinquantem operationem ante oculos ei ponet. Non

raro parentes aut amici, casum hunc miserantes, frustra aegri moerorem ac tristitiam adaugent: melius foret aditum iis prohibere. Ante operationis diem, Graefe commendat, ut alvus aegri clysmate leniter ducatur vespere ante operationis diem, et brevi ante ipsam operationem; in praxi privata, aut nosocomiis bene dispositis bonum hoc, ast in campo impossibile. Trichorio ante operationem, praesertim apud sensiliores Laud. liquid. Sydenh. gutt. XV. propinantur.

Ad Amputationem necessaria.

Amputationis actus citior, aegroque minus molestus evadit, si omnia ad eum necessaria bona ac quodam cum ordine ad manum operatoris suppeditentur: quapropter operae pretium est, ut qualem instrumentorum atque aliorum apparatum dicta operatio postulet, singulatim hic percenseam. Huc spectant:

1) Torcularia (gal. tourniquet). Petiti et Morellii torcular mutationes quas subierit, summo cum studio descripsit et tabulis illustravit Nowicius *). Commodissime applicantur ea, quae instar Morellii

---

*) Op. supra cit. pag. 87 — 44.

formata reperiuntur. Sunto duo; non quod omnino utrumque imponi necesse sit, sed uno fortuito disrupto, alterum ut praesto sit.

2) Compressoria aut spleniola gradatim sibi imposita, quae torcular in actione juvent.

3) Ministri bene in hac re instructi, ut omnia intra operationis actum obvenientia sciant, aut de fortuito comparentibus nonnunquam operatoris attentionem revocent. Ob eorum inscitiam peritissimus non raro operator minus apte rem suam peragere videbitur. Numerus eorum in gravioribus operationibus ad quatuor adscendit: quisque eorum habeat sibi munus commissum, quo diligentissime fungi debet.

4) Apparatus ad amputationem. Huc pertinent:

a) Culter acie recta instructus major et minor.

b) Culter anceps major minorque (sic dictus interosseus) ad separandas partes molles intra bina ossa: ut in antibrachio aut crure.

c) Scalpelli (gal. bistouri) quum recti tum convexi.

d) Serra ad transscindenda ossa.

e) Forfices ad abscindenda ossium frustula (germ. Knochenzange) aut lima ad eundem scopum inserviens.

5) Roborantia, ut spir. sulphurico aeth. Liqu.

am. muriat. caust. Acetum, vitrum aqua frigida plenum, saccharum.

6) Apparatus ad sedandas haemorrhagias:

a) Volsellae s. forcipes (gal. pincette) nec non hamuli ad captanda vasa sanguinem fundentia.

b) Ligaturae plures ex filo sericeo cera obductae, et congrua crassitie.

c) Acus uncinnati, ligaturas trajectas habentes, quum necesse foret tali modo sanguinis profluvium sistere.

d) Et cauterium actuale adhibetur, si ligatura nullo modo apponi possit.

e) Aqua Binellii, cujus virtutem multa Graefii et aliorum experimenta singulari ratione in sistendis haemorrhagiis probarunt: dolendum tamen compositionem ejus nos adhuc latere*).

f) Forfices minores.

g) Spongia a lapidibus aliisque rebus libera.

h) Glacies, aqua frigida calidaque.

i) Colophonium aut gummi arab. in pulv.

k) Spir. vini, quem rectificatissimum dicunt. Adsit etiam ol. olivarum ad serrulam tingendam,

---

*) Jahres-Bericht über das clinische chirurgisch-augenärztliche Institut der Universität zu Berlin von Dr. C. F. Graefe. 1832. Berlin.

vas quoddam ad sanguinem suscipiendum, aut arena pavimentum fortiter conspergatur: nec non mantilia.

6) Apparatus ad vulnus uniendum et deligandum.

a) Linteum emplastro adhaesivo unctum et in taenias scissum. In nosocomiis majoribus curandum est, ut ejusmodi emplastri copia sat magna habeatur. In nosocomio caritatis Berolinensi, extenditur linteis emplastrum sequenti ratione paratum.

℞. Empl. Lithargyr. simpl. part. ji.
Terebinthinae coctae part. j.
M. leni igne. Serva per dimidium annum, donec in usum vocetur.

b) Carpia ordinata et cruda.

c) Splenia oblonga (longuettes) ex linteo jam abuso sat tamen forti ac molli.

d) Crux malitensis.

e) Fascia convoluta, pro magnitudine membri varia.

f) Aciculae.

His bene paratis ac in duabus tabulis ita ordinatis, ut in una instrumenta ad scindendum, in al-

tera vero ad fluxum sanguinis praepediendum et vulnus deligandum collocentur, in conclavi claro, ubi amputatio perficienda est, praeterea mensa simul cum culcito stramine repleto et panno cerato tecto est paranda.

Torcular apponitur membro, in quo amputandum censemus. Graefius, ubi hoc fieri potest, suadet duobus, uti unum collocatur (v. c. in extremitatibus inferioribus) in art. femoris sub lig. Poupartii, alterum absque compressorio paullo supra locum, ubi amputare oportet. Rustius etiam hoc commendat. Usus torcularis absque compressorio haud vituperandus videtur, praecipue in macilentis, ubi sanguinem, quousque id fieri potest, deperdere non licet: dolores praeterea mitigantur: saepissime tamen unum sufficiet.

IV.

Methodus amputandi.

Proeliis, saepe magna exercituum caterva commissis, ipsoque modo bella nunc gerendi fit, ut milleni tam graviter laedantur, amputatioque tam frequens institui debeat. Malum id nunc fere ine-

vitabile hanc chirurgiae partem ad summum, quo nunc est, evexit fastigium. Modi enim ad coërcenda sanguinis profluvia certiores redditi, ipseque operationis actus simplicior, brevior et commodior factus. Jam a saeculo XVII multum desudabant medici in eo, ut post amputationem ossa transscissa partibus mollibus bene contegerentur, labiaque vulneris aptissima essent ad ejus reunionem. Varii varias methodos ad hunc scopum invenerunt ac descripserunt: quarum omnes ad tres has reduci possunt.

I. Methodus sectione circulari instituta, Celsiana etiam dicta: ubi cutis et adeps sectione in orbem ducta circumsecatur; quod etiam perficitur prius ex una, dein ex adversa parte incisione facta: quarum prima scindendi ratio circularis, altera vero sectio circularis binis momentis facta (gal. en deux tems), quae etiam et bisemicircularis dici posset. Quocumque modo incisione hac integumentorum peracta, cutis retrahitur aut etiam scalpello aut potius manubrio ejus a musculis separatur. Deinde musculi cultro amputatorio, directione perpendiculari aciei ad os servante scinduntur, retractoris ope a ministro retrahuntur: tum

lemum operator serra os transscindit. Arteriis subligatis vulnereque absterso fit deligatio.

II. Methodus, qua segmentum carnis unum aut duo formantur (gal. à lambeaux). Primitus ad amputationem cruris excogitata: de hac infra.

III. Denique methodus, ubi scinditur cutis, veluti in prima methodo dictum; cute separata et retracta temnuntur musculi cultro majori perpendiculariter ad ossis axem, quos adjutor summa vi in directione parallela ad os retrahit: tum operator reiterat incisionem penes cutem usque ad os. Os serrula scinditur et c. fit ut jam dictum. Tali ratione vulneris forma conica evadit.

Utri earum primus debeatur locus, arduum est dictu; nec una prae altera habenda: omnes nosse juvabit, in omnibus aeque exercendum est nobis, ut dato casu congruam applicare possimus. Tamen et in his perficiendis leges praescribi non possunt: non raro nec una earum stricto sensu accomodatur; eas ad rerum positionem modificare prudentis est: quod praesertim de exarticulationibus valet. Kleinius in magna praxi sua sat hoc probare videtur *).

---

*) Op. supra cit.

Amputatio cruris cum uno carnis segmento.

Omnibus jam ante operationem rite paratis ac dispositis, apponitur torcular cum compressorio supra genu membri amputandi in loco, ubi art. femoris tendinem musculi tricipitis perforat: alterum, si placet, absque compressorio paullo supra locum, ubi os scindi debet.

Positio aegri.

Aeger collocatur in mensa capite quidquam elevato, genibusque ad mensae extremitatem protensis. Membrum sanum suffulcitur sella, laesum vero alter sustinet minister.

Adjutorum collocatio.

Robustissimo ministro committitur membrum supra amputationis locum: quod duabus manibus ad internam externamque membri partem teneat, donec partes molles abscindantur, postea vero torcular ad desiderium operationis diriget.

Alter sustinebit membrum infra amputationis plagam, et attentus sit, dum operator ossa transcindit.

Tertius suppeditabit instrumenta prius sic ordinata, ut in operatione sequuntur.

Quartus denique aegro vigilet, consoletur eum, attentionem ejus colloquiis de alia re, quousque fieri potest, revocet: aut si hic ob dolores animo linquatur, roborantibus resuscitet aut aqua frigida faciem conspergat.

Positio operatoris.

Operator ancipiti cultro manum armatam habens, ad partem cruris internam locum sibi eligit. Manu sinistra complectitur crus, in quo amputandum est ei, quidquam supra locum, ubi os scindi debet, ita tamen ut pollex ejus angulum cruris internum tangat, index vero fibulam: reliqui digiti suram sustinebunt.

Ipse actus operationis.

Cultro transfigitur sura ex parte cruris interna ad externam: cavendum tamen, ne hic in spatium intra utrumque os incidat, sed ut dirigatur versus fibulae partem posteriorem: ipse etiam operator cautus sit oportet, ne se ministrumve laedat. Alii volunt ut operator stet ad partem membri amputandi externam, cultrumque pone fibulam infigat qui

versus angulum cruris internum compareat. Quodamcumque modo jam cultro trajecto, segmentum carnis $\frac{2}{3}$ membri circumferentiae adaequans formatur, quum culter serrulae instar ab osse versus cutem ducatur. Sic excissum carnis segmentum committitur ministro: operator autem paullo infra plagam factam, scalpello supra fibulam et tibiam cutem sectione circulari scindit. Cute usque ad basim segmenti retracta, iterum ancipiti cultro, angustiori tamen, scinduntur partes molles circa ossa adhuc haerentes, nec non lig. interosseum. Quo facto bis diffissum linteum applicatur ita, ut media pars ejus penetret spatium, quod intra fibulam tibiamque invenitur: reliquis autem complectuntur partes molles et a ministro retrahuntur, ne sint impedimento in ossibus scindendis.

In segmento ex carne formando cavendum est, ne partes carnosae cute destituantur: itaque necesse est, ut apud homines, quorum sura crassior, aliquid carnis excidatur. Graefius ad hunc scopum excogitavit cultrum Blattmesser dictum: cujus descriptionem et applicationem legi meretur *).

Segmento facto, musculisque circumcissis, serrula,

---

*) Op. supr. al, pag. 153. §. 87.

quo id fieri potest, penes retractores admovetur. Toto crure ad interiora verso inciditur primum utrumque os: surcula jam in his facta, resecatur prius fibula, deinde vero, crure ad exteriora revocato tibia abscinditur. — Art. tibialis antica et postica subligantur: ex minoribus ramulis muscularibus fluxum sanguinis cohibet aqua frigida ex spongia parvo torrente effusa. Quo facto vulnus abstergitur, labia ejus appropinquantur et in attactu emplastris duobus aut tribus sustinentur. — Multos vidi, qui in ejusmodi deligatione et in sequentibus in genere usi sunt carpia ordinata ad obtegendam ossis frontem, non minus ea cruda sat laute obtegebant vulneris labia, ne osse vulnus irritetur et ut facilius deligatio adimi possit: quod tamen non imitandum puto, nisi jam suppuratione comparente. Forsan ob eam unice causam non raro ad quinque menses cura protrahebatur et in genere per secundam intentionem absolvebatur: contra vero ubi apud unum militem, cui utrumque crus amputatum fuit, ossa minime plumaceolis texi nulla fere suppuratio apparuit, et sequester ex utroque crure vix decimam unguis partem adaequabat, squammulae formam gerens; quum apud reliquos coronae instar sat magnus conspiceretur: imo vero

in uno milite, cui femur sinistrum in tertia superiori parte ademtum fuit, sequester ille quatuor digitos transversos superabat *).

Jam vero deligatione vulneris facta, aeger in lectulo commodo ponitur: pulvinaria tamen ei minime subjiciuntur; satius jaceat in sacco stramine repleto, aut si id fieri potest in sacco pilis pleno (germ. Matratze). Membrum, in quo amputatio peracta, sacculo stramine secto aut pallaeis repleto positionem paullulum in femore et genu flexam servet. Aeger lodice contegatur, quae tamen aliquid sublevetur, ne membrum tangat. Torcular relaxatum in membro relinquitur ad coërcendam, casu fortuito, haemorrhagiam. Tribus primis post operationem diebus, habeat sibi quemdam diu noctuque

---

*) Ossis amputati frons nigricans, et paullulum mobilis comparuit, attamen fortiter renitebat. Vulnus jam granulationibus obtectum, orbiculus tamen instar annuli niger denudatus fuit. Manu fortis, capite tamen debili medicus vi eum auferre conatus, forcipum ope annulum illum bipartivit: unam ejus partem summis cum doloribus aegri, nonnihil sanguine comparente evulsit, alteram relinquere coactus: hac postridie iterum forficibus diffissa partim eripuit. Sequestrem hunc servavi; quo depurgato conspexi quamdam demarcationem morbidam, quam tamen jam natura remunerare laboravit. Et exinde fere aeger ille, qui duos menses optima gaudebat valetudine, postea de die in diem in pejori versabatur statu, tandem evanuit.

vigilantem, in machinatione torcularis bene instructum.

Amputati caeteroquin bene valentes, nullis medicamentis indigent, regimen solummodo diaeteticum servandum. Potione acidula gaudent, quae iis permittenda v. g. ex succo limonum cum saccharo et aqua. — Vulnus fomentis frigidis ex aqua mera continuo fovetur, donec status inflammationis transeat. Quae tamen pertractatio varie pro varia aegri ratione mutatur. Recte prius perpendendum, utrum vulnus cito an paullatim sanandum sit. — Febre ingruente et persistente vena etiam secatur.

Prima deligatio consuetim ad tertium usque diem relinquitur; nisi eam auferre haemorrhagiae cogant. In ulteriori decursu suppuratione jam praesente, praecipue autem aestatis tempore bis de die deligatio renovanda.

In omnibus vulnerum deligationibus linamenta carpta, splenia, spongia et alia, quibus ad eas utimur, pura esse debent: nam saepe fit ut minus cauti gangraenam ex uno vulnerato in alterum transferant, ob hanc unice causam, quod eadem spongia usi sunt. Vidi post vesicantia ad nucham applicata

gangraenam evolutam, cujus eventus pessimus erat. —

Vulnere jam perfecte sanato, paullatim ad usum membri artificialis progrediendum, ne quidquam aeger detrimenti capiat.

VITAE CURRICULUM.

Ego, BENEDICTUS PEYSON, A. D. MDCCCII die XXI Martii patre Stephano Peyson, matre vero Barbara, de stirpe Wesolowska, Opatoviae, urbe Poloniae in palatinatu Sendomirensi sita natus, romano - catholicae religioni addictus sum.

Primis rudimentis litterarum in scholis publicis a Benedictorum Ordine institutis, Slupiae quondam florentibus duce Molendovio, nec non Coprivnicii sub praecipua Cistersiensium tutela WIESOLOVIO praeunte imbutus, KIELCIOS missus sum: ubi in Lyceo, de quo magnificus hujusce rector Ill. POLEJOWSKI optime meritus, cursu scientiarum sublimio-

rum rite peracto, maturitatis examine superato, a ministerio cultus educationisque publicae hujus scholae praeceptor creatus sum. Munere hoc per biennium functo A. D. MDCCCXXVI die XV Septembris numero civium, in alma universitate Alexandrina, Varsaviae nuperrima deleta, a magnifico t. t. rectore Ill. ADALBERTO SZWEYKOWSKI adscriptus, apud ordinis medicorum t. t. decanum Ill. MILE nec non apud hujus philosophorum t. t. decanum SKRODZKI nomen professus sum.

In hac universitate his interfui praelectionibus: de physice experimentis illustrata a Ill. SKRODZKI, de chemia eadem ratione Ill. PAWLOWICZ et KITAJEWSKI disseruere, de mineralogia Ill. HOFFMANN, de botanice Ill. SCHUBERT, de zoologia Ill. JAROCKI, de anthropotomia theoretica, anatomia comparativa, et arte cadavera secandi Ill. ROLIŃSKI, de anthropologia, logice, jure naturali Ill. LACH SZYRMA, de

physiologia, diaetetice Ill. MILE, de pharmacologia, chemia politica et forensi Ill. CELIŃSKI, de pathologia et toxicologia Ill. SZCZUCKI, de chirurgia theoretica et arte formulas concinnandi Ill. JANIKOWSKI, de materia medica Ill. TOMOROWICZ, de therapia Ill. KACZKOWSKI, de aciurgia Ill. NOWICKI et JANIKOWSKI, de arte obstetricia Ill. FIJALKOWSKI, de medicina forensi et morbis epizooticis Ill. WOYDE. In exercitationibus clinicis Ill. KACZKOWSKI, NOWICKI et JANIKOWSKI duces mihi fuere.

Revolutione Varsaviae explosa flammaque belli furente, in nosocomiis militaribus Varsaviae positis Ill. JASINSCIO, WEISSIO et ENOCHIO dirigentibus, patriae defensoribus a XIX Februarii A. D. MDCCCXXXI usque a IX Decembris opem ferebam. — Munere hoc liberatus,die XXII Januarii A.D.MDCCCXXXII Berolinum me contuli, et a magnifico t. t. rectore Ill. MARHEINECKE civibus academicis

in universitate Friderica Guilelma adscriptus, apud Beat. RUDOLPHI t. t. facultatis medicae decanum nomen dedi. Hic, benevolentissimo Illustrissimorum professorum consensu nonnullis praelectionibus aderam: praecipue autem de arte obstetricia et desmurgia Ill. KLUGE, de cholera Ill. WAGNER, de historia medicinae Ill. HECKER, de herniis Ill. DIEFFENBACH. Praxi medicae in policlinico praeeuntibus Ill. HUFELAND et OSANN praesto eram; nec non in clinicis Ill. GRAEFE, JUENGKEN et RUST dirigentibus. Ab Ill. tandem BUSCH in operationibus obstetriciis instituebar.

Tentamine jam rigorosoque examine, coram gratioso medicorum ordine absolutis, dissertationem praesentem conscripsi, ut summi medicinae et chirurgiae honores in me conferantur. —

THESES DEFENDENDAE.

---

1) *Quo magis ratio imperium in humanas actiones exercet, eo nobilior et humanior voluntas.*

2) *Sine virtute nulla felicitas.*

3) *Arteriarum ictus non a dilatatione earum, sed a cordis motu repetendi.*

4) *Vomitus praesertim ventriculi est actus.*

5) *Proximam causam morbi ignotam esse fatendum.*

6) *In gangraena, causa interna producta, non amputandum est.*

7) *In corpore laedente extrahendo non omnino enitendum est.*

8) *Ossium fractorum diagnosis non raro ardua.*
